

librorum. *Et Capitulorum libri egregij de vita christiana appellatur. Qui liber editus est per venerabilem et singularissime doctrine virum fratrem. Symonem de Cassia. Ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini. Et nota, quod auctor huius libri de hac vita migravit antequam librum totaliter ut presumitur compleuisset uel ipsum correxisset. Sed eius minister frater Johannes de Salerno eo mortuo pecias et cartas quas in eius archis reperit collegit. Et apposuit ad illa que auctor iam in scripta redigerat. Et istam tabulam compilauit.*

DLXXVII.

46 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 264. praecedenti per omnia geminus continet *Libros VI. posteriores de Vita Christiana Simonis de Cassia*, et sic orditur: *Incipit liber Nonus de virtuositate et pro virtute sermonibus domini saluatoris &c.* Ad calcem *Libri XIV.* et ultimi legitur: *Explicit liber de vita christiana editus per Reuerendum fratrem Symonem de Cassia ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini. Anno M^o CCCC^o. XXXIX.* Claudunt opus *Rubricae Capitulum*, sed imperfectae. Desideratur itaque in Codice nostro *Liber XV.* qui in editione principe *f. l. et a. f.* sic inscribitur: *Incipit liber quintusdecimus de iusticia christiana, Capitibusque XLVI.* definitur, et hoc epiphonemate terminatur: *Expliciunt undecimus*

duodecimus terciusdecimus quartusdecimus et quintusdecimus libri de gestis domini saluatoris. Quos edidit diuini flaminis doctor Symon de cassia: ordinis heremitarum beati Augustini episcopi. Simonis huius profapia Fidati, patria Umbri, vitam et scripta persequitur J. Felix Ossinger in Bibliotheca Augustiniana Ingolst. et Aug. Vindel. edita 1768. pag. 214. f. Fallitur tamen in eo, quod Opus nostrum a Simone non latine sed italice scriptum autmet, inductus a Catalogo Riccardiano, cujus pag. 354. occurrit: Simone da Cascia Ordine della Vita Cristiana. Cum enim ordo iste in Codicis titulo dicatur Compilato — intorno agli anni Domini MCCCXXXIII. quando staua in Firenze predicatore, nostrum vero Opus inceptum sit Romae Anno Domini MCCCXXXVIII. ut supra vidimus, patet, Ordinem illum italicum ad summum Operi nostro latino materiem et ansam quandam praebuisse. Quod si ex collatione confici posset, Ordinem illum Bibliothecae Riccardianae eundem esse cum Simonis de Cassia Expositione sopra euangeli — Impresse in Firenze per Bartholomeo di Francesco de Libri — MCCCCLXXXVI. f. sequeretur ipsum etiam Ordinem nonnisi versionem esse ex Latino. F. enim Guido Expositionis editor in Praeloquio fatetur, se Expositiones Simonis Vulgarizare, i. e. in linguam vernaculam traducere. Inclinat in hanc sententiam etiam Jac. M. Paitonus in Bibliotheca

2193

A S C E T I C I.

2194

Biblioteca degli Aut. antichi volgarizzati. Venet. 1767. T. V. p. 132. 4. Ex haecenus dictis adparet falli etiam Bibliothecam Gesnero — Frisianam adferentem, inter Codd. Mss. Caesareos Operis nostri Partem tantummodo primam extare. Ultima ceterum, quod sciam, ejus Editio facta est Ratisbonae anno 1733.

DLXXVIII.

76 Codex chartaceus lat. et ital. Sec. XVI. Folior. 74. f. inscriptus est: *Simonis de Cassia Eremitae, Ordinis S. Augustini Epistolae et Homiliae*. Additur in margine eadem manu, quae Codicem exaravit: *In codice, qui asseruatur in xenodochio D. Marię Nouę in ciuitate Florentina nullus est praescriptus titulus in fronte huius authoris: sed locus uacuus relictus est uolenti inscribere ut et hic fecimus*. Videtur itaque exemplar nostrum ex Florentino illo depromptum, quod suadent praeterea perpetuae in ora Voluminis notae, conjecturaeque ad exemplar illud revocantes, quae frequenter simul animum Scriptoris a Communionem Romanam alienum loquuntur. Cum Epistolae hae, de quarum Autore jam Cod. praeced. mentio fuit, nunquam, quod sciam, typis editae sint, raroque in Bibliothecis manuscriptorum reperiuntur, operae pretium fuerit eas singillatim percensere.

Fol. itaque I. narrat Simonem quendam. Initium: Vidi pontem super aquas precipites &c. Finis: omnimode placentia Deo.

Fol. II. Homilia de ludis et humanis festiuitatibus fugiendis. Initium: Ambulabat Iesus in Galileam &c. Finis: similitudinem gestat.

Fol. II. p. 2. Homilia commendans abstinentiam. Initium: Serpit occulta tabes &c. Finis: necessarius sit in sacramentis.

Fol. III. Epistola hortatoria ad Virum nobilem, ut a vitiis absterneat, virtutes sectetur, mortis meminerit. Initium: Inter meas occupationes &c. Finis: in tuis agendis sepe fungaris.

Fol. III. p. 2. Epistola ad Virum nobilem Romanum, qua coarguuntur ejus fastus, suspiciones nimiae de uxore, et consuetudo cum Iudaeis. Initium: Credebam crebrius vestram visitare personam &c. Finis: praestatis audaciam.

Fol. V. p. 2. Sermo italicus ad Fratres de virtutibus monasticis. Initium: O uoj, che siete chiamatj angelj &c. Finis: doue sono traboccato.

Fol. VII. Epistola hortatoria ad perseverantiam in bono. Initium: Si me non fallit opinio &c. Finis: Confortare in domino et cet.

Fol. VII. p. 2. Reprehenditur quidam, quod ab instituto coelibis vitae ad uxorem desciverit. Initium: Argumentum tibi esse